FRANCKESCHE STIFTUNGEN

Franckesche Stiftungen zu Halle

De Lingvæ Syriacæ Vsv In N.T.

Rus, Johann Reinhard

Jenæ, 1702

VD18 12349496

Sectio II.

Nutzungsbedingungen
Die Digitalisate des Francke-Portals sind urheberrechtlich geschützt. Sie dürfen für wissenschaftliche und private Zwecke heruntergeladen und ausgedruckt werden. Vorhandene Herkunftsbezeichnungen dürfen dabei nicht entfernt werden.
Eine kommerzielle oder institutionelle Nutzung oder Veröffentlichung dieser Inhalte ist ohne vorheriges schriftliches Einverständnis des Studienzentrums August Hermann Francke der Franckeschen Stiftungen nicht gestattet, das ggf. auf weitere Institutionen als Rechteinhaber verweist. Für die Veröffentlichung der Digitalisate können gemäß der Gebührenordnung der Franckeschen Stiftungen Entgelte erhoben werden.
Zur Erteilung einer Veröffentlichungsgenehmigung wenden Sie sich bitte an die Leiterin des Studienzentrums, Frau Dr. Britta Klosterberg, Franckeplatz 1, Haus 22-24, 06110 Halle (studienzentrum@francke-halle.de)

Terms of use
All digital documents of the Francke-Portal are protected by copyright. They may be downloaded and printed only for non-commercial educational, research and private purposes. Attached provenance marks may not be removed.
Commercial or institutional use or publication of these digital documents in printed or digital form is not allowed without obtaining prior written permission by the Study Center August Hermann Francke of the Francke Foundations which can refer to other institutions as right holders. If digital documents are published, the Study Center is entitled to charge a fee in accordance with the scale of charges of the Francke Foundations.
For reproduction requests and permissions, please contact the head of the Study Center, Frau Dr. Britta Klosterberg, Franckeplatz 1, Haus 22-24, 06110 Halle (studienzentrum@francke-halle.de)

urn:nbn:de:gbv:ha33-1-197712

Visual Library

tuit clariora. (γ) verba græca concisè posita, adjectis quandoque aliis, illustrat egregiè. (δ) verba textus Græci transposita in ordinem magis intelligibilem, magno cum lectoris fructu & emolumento, redigit. (ε) multam quoque lucem fœneratur textui græco, suffixorum, præfixorum &c. adjectione. (ζ) in rectè constituendis versuum propositionumque interpunctionibus, (η) In dijudicandis multis lectionibus variantibus opem lectori fert haud contemnendam. Quibus accedent (ϑ) monitorii loco, nequis justo majorem huic versioni auctoritatem tribuat, aliquot Scripturæ loca, in quibus à veritatis tramite declinarat auctor. Quoniam verò hæc omnia & singula nunc persequi non licet, ne Disputationis limites egrediamur, hac vice, DEO propitio, caput tantummodò primum, brevitate, quantâ fieri poterit, maximâ percurremus, reliqua sub eodem Præside nostro daturi aliàs.

SECTIO II.

CAP. I.

De lingvæ Syr. usu in explicandis N. T. vocibus phrasibusque Chaldaicis.

§. I.

MAgnum utique huic tractationi pondus accederet, si probari posset, Christum in his terris obambulantem hâc, de qua agimus, lingvâ usum fuisse vernaculâ, quod volunt Viri de literaturâ orientali meritissimi: Widmanstadius præf. ad N. T. à se divulgatum, Masius, Crinesius, Trostius, Gvido Fabricius Boder. præf. ad N.T. Franz. de interpretat. Script. pag. 38. & 46. Ludov. de Dieu præf. ad Apoc. Syriac. itemque præf. Gram. LL.OO. Gvaltperius in Sylloge

Vocum Exoticarum N.T. p.3. Gutb. præfat. ad N.T. Syr. Leusden. in Philol. aliisque. Et major illius addiſcendæ non modo utilitas, ſed etiam neceſſitas foret, ſi, quod aſſerit Bellarm. L. 2. de V.D. c. 7. Grotius præf. com. in N.T. Simonius Hiſtor. Crit. N.T. juxta cum Pontificiis reliquis pleriſque omnibus, firmo niteretur talo, hanc eſſe originalem Matth. & Epiſt. ad Hebræos lingvam, quâ iſtorum librorum Canon. Auctores, ab ipſo Spiritu S. agitati atque impulſi, poſteritati eosdem literis conſignatos reliquerint. Nunc verò cum de utroque diſcrepantes ſint Virorum eruditisſimorum ſententiæ, paucis in hæc inquirere animus eſt.

§. II. Et primò quidem, quod concernit lingvam Salvatori in hoc mundo degenti vernaculam, eâ, ſi in latitudine ſua Sect. 1. §. 4. indigitata accipiatur, Chriſtum in vulgari vitâ, propalandâque per Judæam doctrinâ ſuâ, uſum fuiſſe, concedi omnino debet. Sin verò de illa dialecto, quâ N.T. conſcriptum extat, quæque Maronitica, Comagena & Antiochena, uti ſupra accepimus, vocatur, quæſtio inſtituatur, Viri ſunt non minus celebres, qui in diverſum abeunt, inter quos nominamus laudatum ſæpius Philologum Lipſienſem Mayerum phil. p. 2. c. 2. p. 83. & theor. 4. p. 156. p. 1. c. 2. p. 108. ſeqq. c. 8. p. 376. Walton. proleg. 13. §. 5. fol. 391. Pfeiff. Crit. S. c. 3. ſect. 2. q. 12. ac celeber. noſtrum Danzium, præf. ad aditum Syr. recluſ. Et his eodem fortaſſis jure accenſemus Jac. Mart. quo illum τῶς ἐξ ἐναντίας, multi annumerare non dubitarunt. Ita enim inter alia habent verba ejus, præf. ad N.T. Syr. Troſt. *Sciant nihilominus importuni & iniqui iſti cenſores, Syram lingvam eſſe illam, in qua Chriſtus ipſe cum ſuis Apoſtolis fuit locutus, vel quæ proximè ad vernaculam Salvatoris noſtri, ejusque Sympatriotarum accedit &c.* Statuunt hi, Chriſtum lingvam adhibuiſſe non Syram Maroniticam, ſed Chaldaicam, quæ genti in qua verſabatur Salvator, tunc temporis familiaris non modo, ſed etiam vernacula erat, eſtque illa, quâ Jonathanis atque Onckeli, Chriſti ætatem, ſi non ſuperantium, attingentium tamen, para-

paraphrases chaldaicæ prostant consignatæ, quæque ad πανολετρείαν usque Hierosolymorum, in gente istâ viguit floruitque. Cui etiam sententiæ nos, aliquot rationibus (ut arbitramur) idoneis inducti, accedimus; Primò enim lingva Salvatori vernacula non destituta fuit dagesch forti literam duplicante, prout vocabula multa, quæ in N. T. supersunt, manifestò significant. v. g. ῥαββὶ Matth. 23. 7. 8. γαββαθᾶ Joh. 19. 13. ἀββὰ Marc. 14. 36. ἐφφαθὰ Marc. 7. 34. μαμμωνᾶ Luc. 16. 9. 11. 13. ῥαββουνὶ Marc. 10. 51. ῥαββονὶ Joh. 20. 16. Sed lingva Syriaca dagesch forte non agnoscit, ut vel exinde liquet, quod in forma passiva Ettaphal, nec non verborum quiescentium Ain Ethpeel, itemque in nominibus quibusdam, literam dageschandam geminant, quod non fuissent facturi, si notâ literam duplicante gavisi fuissent. Nec est ut quis ܕܳܓܶܫ pro dagesch forti venditet; Qvum Georg. Amira in Gramm. suâ Syr. Romæ anno 1596. editâ p. 30. apud Ludov. de Dieu ad Apoc. Syr. præf. verbum ܡܰܓܶܠ In pael latinis literis unico tantùm M, non gemino exprimat, & p. 38. citans verba ex Ps. 117. ܫܒܚܘܗܝ ܠܡܪܝܐ *laudate Dominum* latinè scribat, *sciabahh lmorio*, ubi quidem ܒ quia kuschoi habet, durius, neglectâ aspiratione, per B. non V. pronunciat, nec tamen illam, ceu juxta dissentientes fieri par erat, geminat. Similiter Gabriel. Sionita, teste iterum Ludov. de Dieu Gramm. LL. OO. L. 1. c. 5. p. 25. Ps. 1. *beatus vir qui non* ܠܐ per *halech* exprimit. Quin tradit Amira Gramm. suæ p. 11. ܕܳܓܶܫ nihil aliud esse, quam hebræorum dagesch lene, ܪܳܦܶܐ verò illorum Raphe, id quod cum veritate congruere, res ipsa loquitur, nam-

 que

que ܡܕܓܫܐ non nisi literis בגדכפת imponitur, cum dageſch forte in omnibus, præterquam gutturalibus & ר, locum habeat, nec unquam, niſi poſt vocalem comparere poſſit, quod de Kuſchoi ſecus contingere, adeò notum pervulgatumque eſt, ut de his lectorem pluribus monere, haud ſit neceſſe. Quod verò dicunt in vocibus ex N. T. adductis, literam euphoniæ cauſa geminari, uti 1. Pet. 3. 6. Rom. 9. 9. in voce Σαρρὰ pro hebr. שָׂרָה factum videamus; itidem minus ſolidum videtur, cum citra cauſam ad euphoniam non ſit confugiendum: exemplum verò allatum prorſus eſt impertinens, quid enim impedit, quo minus שָׂרָה ex radice שרר derives, ut ר ſit fortiter dageſchandum, quod dageſch forte in vocali impurâ nunc lateat, quam quia Græci diſtinctè non poterant exhibere, nec quicquam τὸ ρ geminationem prohibebat, expreſſerunt, uti regulariter fieri conveniebat, ρ illo geminato. (2) Lingva à Chriſto uſurpata, τῷ jod in fine vocis ſervili, præmittebat vocale homogeneã, efferebat, ut videre eſt ex ſupra citatis ῥαββὶ, ῥαββονὶ & ῥαββουνὶ, quibus jungantur κύριε Marc. 1. 41. ἠλὶ, ἠλὶ, quod Judæis adſtantibus occaſionem præbuit, ut ſuſpicarentur, Chriſtum advocaſſe Eliam, & σαβαχθανὶ Matth. 27. 46. Aſt in hac dialecto jod illud finale vocalem præmiſſam non agnoſcere, non tantùm Amira l. c. ſed ipſi etiam Syrorum libri teſtantur, qui illud ſemper ſine vocali, absque quâ tamen proferri non poteſt, exhibent. (3) Non conveniunt voces, quas Chriſtus & Apoſtoli adhibuerunt, cum illis, quæ hodie in N. T. Syr. extant, quemadmodum patebit conferenti græcum γαλιλαθᾶ Johan. 19. 13. cum ܓܘܠܓܘܬܐ γολγοθᾶ Matth. 27. 33. cũ ܡܪܢܐ ܐܬܐ μαρὰν ἀθὰ 1. Cor. 16. 22. cum ܐܟܠܕܡܐ Ἀκελδαμὰ Act. 1. 19. cum ܝܘܣܦ, Ἰωσὴφ Matth. 1. 24. cum

cum ܛܠܝܬܐ ʃaliθà Marc. 5. 41. cum ܛܠܝܬܐ.
Quod ſi vel maximè cum Schwentero in pec. de Skopho diſſertat. eam per A efferendam contendas, ne ſic quidem plerarumque ſonum cum N. T. conciliabis, præſertim cum B. Pfeiff. l. c. non ſine cauſa monuerit, obſtare dictæ modo Schwenteri ſententiæ, (α) ipſam τȣ̃ Skopho figuram, quæ ad ο μικρὸν græcorum potius, quam ad α inclinet, (β) nomina & appellativa & propria, ex Græcia in Syriam traducta, in quibus horum ο μικρῷ reſpondeat, cujusmodi recenſet v. g. ܢܡܘܣܐ Jac. 4. 12. ex νόμος. ܐܝܠܢܐ Luc. 15. 22. ex ſολὴ. ܐܝܠܢܐ Luc. 3. 14. ὀψώνια. ܐܬܝܢܝܐ Act. 17. 1. Apollonia. ܐܦܣܦܣܝܘܣ 2. Tim. 1. 16. Ὀνησίφορος. ܛܝܡܬܐܘܣ Τιμόθεος &c.
(4) Flav. Joſeph. (cui illuſtr. Wagenſ. ſub finem diſp. de dicto Gen. 49. 10. in rebus Judaicis tutius credi ait, quam Rabbinis & Talmudiſtis omnibus) præfat. ad libb. de B. J. coll. Antiq. lib. 11. c. 4. ſub fin. & cap. 5. lib. 3. c. 1. *Chaldæam linguam* appellat *ſermonem ſuæ regionis.* Atque hæc eſt lingva, quam, toties quoties in N. T. (e. g. Act. 21. 40. c. 22. 2. & alibi ſæpius) hebræa fit mentio, intelligimus, quæ, quicquid contradicat eruditiſſimus Füllerus l. 3. Miſcell. cap. 20. ita vocatur, quia populo, cui quondam hebræa fuerat vernacula, nunc familiaris erat. Nec enim hebræam propriè dictam intelligi citatis in locis aut poſſe aut debere, ipſa nomina è veſtigio ſubjuncta declarant, horum enim forma externa cum ſit Chaldaica, de aſſerti veritate cum ratione dubitari poſſe, haud videtur. Ita (ut unum ſaltem alterumque percurramus) quando Lucas Evangeliſta παρηκολȣθηκὸς ἄνωθεν πᾶσιν ἀκριβῶς ſcribit Act. 1. 19. quod agrum ære, quo Chriſtus venditus erat, comparatum vocarint τῇ ἰδίᾳ διαλέκτῳ ἀυτῶν Ἀκελδαμὰ, quivis vel levi hebraiſmi notitiâ tinctus largietur, τὸ Ἀκελδαμὰ nec formâ,

mâ, nec usu hebraicum esse. Idem dicendum de Joh. 19. 13. ἐκάθισεν ὁ Πιλάτος ἐπὶ τοῦ βήματος εἰς τόπον λεγόμενον λιθόστρωτον, ἑβραϊστὶ δὲ γαββαθᾶ. & ibid. v. 17. ἐξῆλθεν ὁ Ἰησοῦς εἰς τὸν λεγόμενον κρανίου τόπον ὃς λέγεται Ἑβραϊστὶ γολγοθᾶ. Satis proinde mirari non possum temerariam Vossii censuram, quâ ut alibi, ita in app. de 70. Interpr. p. cumprimis 6. ss. & 46. s. notat hos, qui non admittunt Christi Apostolorumque tempore, græcam lingvam Judæis Hierosolymæ habitantibus receptam in vulgari usu ac sermone fuisse, eosque *semidoctos* & *fanaticos* appellat. Sed argumenta, queis utitur, tam valida non sunt, quam sibi fortè persvaserat Vossius. Autumat is delirare illos, qui statuant Judæos Hierosolymitanos lingvam Chaldaicam per traditionem conservasse eo in loco, in quo per multa jam secula in usu fuerit lingva græca, cum Josephus non tantùm præf. ad Antiq. *græcam lingvam sibi nationique suæ peregrinam esse*, disertis verbis testetur, sed insuper ex indubitatis N. T. locis constet, Paulum v. g Act. 21. ult. c. 22. 2. coram omnibus Hierosolymæ præsentibus Judæis, orationem in receptâ tunc hebræis lingvâ habuisse. Quis verò lingvâ ignotâ, vel nonnisi quibusdam, trans Euphratensibus scilicet, familiari, Paulum universos dixerit allocutum? Quod porrò instat, demonstrari nullo exemplo posse, quod aliqua lingva conservari queat in ea regione, in quam alia devenerit; Illud ex perlectis Maccabæorum libris facilè collabascit; namque, ex 2. Maccab. 7. apparet, Hierosolymitanos eos minimùm, qui alicujus conditionis erant, præter Chaldaicam, græcam quoque, utpote tunc admodum familiarem, calluisse, ibi quippe vers. 21. ss. 27. ss. mater, filios πατρῴᾳ φωνῇ Regi imperceptibili v. 24. alloquens, cum Rege, lingvâ ei procul dubio cognitâ. v. 26. sermones miscet, idem v. 31. usque ad finem capitis, exemplum filii natu minimi, martyriique coronâ insignis docet. De Josepho res notior est, quam ut moneri opus sit, quod historiam suam, ut ex L. 20. c. ult. antiq. liquet, pro totâ natione suâ, adeoque pro Judæis tam Hierosolymitanis, quam trans Euphratensibus, idiomate

græco

græco consignarit. Taceo recentiora Judæorum ex Hispania profugorum, Constantinopolim aliasque orientis regiones inhabitantium exempla, quæ ex Simonio produxit Vener. D. Majus in Exam. Hist. Crit. N.T. c. 7. p. 75. seq. Nec quicquam aliud evincit locus Act. 21. 37. ubi Vossium absque ullâ causâ, à vulgari, græci textus, veterumque versionum lectione recessisse arbitramur, cum nec eâ lectione, quam ipsemet eligit, quicquam juvetur, & si l. c. v. ult. & c. 22. 2. cum d. c. conferre haud fuisset gravatus, dubium omninò nullum remansisset. Quæ circa vocem Chaldaicam atque Syriacam movet, leviora sunt, quam quibus immoremur, maximè cum ex supra dictis huc conferendis, nullo negotio iisdem satisfieri possit. Unum restat, quod ex Judæorum erga Syros eorumque lingvam odio depromit, ex quo profectum ait, ut eorum lingvam, gentilium lingvam appellarent. Quod ut luculentius demonstret, sequens è Talmude effatum profert, si quis preces lingvâ Syriacâ peregerit, eas non exaudiri, quoniam Angeli ministri Dei dictam lingvam non intelligant. Ita est, legitur prædicta modo sententia in Talmudistarum pandectis tract. Schabb. fol. 12. col. 2. lin. 13. seqq. verba sunt sequentia:

כל השואל צרכיו בלשון ארמי אין מלאכי השרת
נזקקין לו שאין מלאכי השרת מכירין בלשון ארמי

h.e. *Quiquis orarit ea, quibus indiget, lingvâ Arameâ, ei Angeli ministeriales non adjunguntur, cum illi non intelligant lingvam Arameam s. Syriacam.* Estq; hæc una ex causis, quare Danielem Prophetis non accenseant, quia videlicet Angelus Vaticinantium minister, Chaldaicas locutiones non intelligit, per quem tamen omnes, præter Mosis Prophetiam, Maimonide in Mor. Nev. p. 2. c. 40. id asserente, sunt factæ. Verum enim verò, hanc non esse constantem omnium Rabbinorum opinionem, testimonio ex ילקוט חדש producto, demonstrat Wagens. Sot. p. 1135. Deinceps hic vocem ארמי strictius sumi nil vetat, ut non simul Chaldaicam Babylonicam

complectatur, sed illam specialiter sic acceptam, in quantum eidem contradistingvitur, designet, quo in sensu nobis obesse haudquaquam potest. Chaldaica insuper lingva Judæis vel eam ob causam ne ab Angelis aut Dæmonibus intelligantur preces fundere concessum fuisse, ex certa precum formula קדיש appellatâ, inque Talmud præscriptâ & à celeb. Ligthf. H. H. ad Matth. IV. 23. latinè expositâ, cui Gerson in Juden Talmud p. 1. c. 18. p. 159. duas adhuc alias precationes, quas idiomate Chaldaico perficiunt, jungit, sole meridiano clarius elucet.

§. III. De Matthæi Evangelio, adque Hebræos Epistolâ asserunt quidem auctores supra allati, aliique plures, lingvâ hebraicâ libros hos fuisse primitùs exaratos. Intelligunt verò illi, qui accuratiori lingvarum notitia fuere imbuti, dubio procul lingvam hebræam eo sensu, quo passim in N.T. eandem occurrere monuimus supra, id quod expressis verbis affirmat Simonius apud Maj. l. c. p. 64. qui propterea Flacio turpem impingit errorem, quod in præf. Glossæ præmissâ cum Erasmo credat, Evangelium Matthæi exaratum dici ab hujus sententiæ patronis lingvâ veteri hebraicâ, eamque sententiam ex eo falsitatis convincere laboret, quod lingva hebræa tum temporis in desvetudinem abierit, ut à Judæis, nisi doctioribus amplius non intelligeretur. Multò clariora hanc in rem sunt, quæ πολύγλωττος J. C. Widmanstadius habet in epistola dedicatoria, toti operi Syriaco Viennæ à se emisso subnexâ, ubi aliquot argumenta producit, quibus probare nititur, hâcce in controversia, lingvam hebræam illam intelligi debere, quæ nobis dicatur Syra, fueritque tunc hebraici populi vulgari usu trita. Quia (1.) tunc temporis Mosaica lingva patria amplius non fuerit. (2.) Quod Evangelium lingvâ plebi, non eruditis tantùm, notâ exscribendum fuerit. (3.) Dubio procul Apostoli lingvam, quâ Christus usus, syriacam adhibuerint. (4.) Matthæus utpote publicanus, sermonis istius Mosaici nescius fuerit. (5.) Nova doctrina, novâ lingvâ fuerit proponenda. Denique (6.) non potuerit in lingva hebræa Matthæi

thæi Evangelium Indis annunciari, quibus id Bartholomæum tradidisse, testetur Niceph. L. IV. c. 7. His verò lingva hebræa vulgo erat incognita, sed Syriaca in Indiam usque, teste Hieron. in Jes. 19. cognita fuit. Quas rationes, cum non sint paris ponderis atque momenti, B. L. judicio relinquimus examinandas, de argumentis potius, quibus ea convellitur sententia, quæ aliam à græca diversam Evangelii Matthæi Epistolæque ad Hebræos statuit primigeniam lingvam, dispecturi. Arbitramur proinde (1.) contrarium arguere integras sententias peregrino quodam idiomate prolatas, sed è vestigio passim expositas, quà expositione si hebraicè scripsisset, utique supersedere potuisset, nec tantâ Interpres aliquis temeritate fuerit, qui ex proprio ingenio hæc talia textui authentico, tanquam eâdem veneratione suscipienda, illineret. (2.) Nemo unquam est deprehensus, qui sibi visum, nedum lectum illud Matthæi Evangelium testetur. Veterum de hoc testimonia tanti heic non videntur, ut ab iis discedere, nobis ducamus piaculo, præsertim cum ipse Papias in fragmentis ab Eusebio collectis fateatur, se illud ex relatione saniorum didicisse; ipso autem Eusebii Hist. Eccles. l. 3. c. ult. judicio Papias fuit exigui judicii vir, qui multa fabulosa leviter credita posteris tradidit, multisque post se Ecclesiasticis viris occasionem errandi antiquitate sua præbuit. Unde Hieronymus ex Patribus vetustioribus post Origenem, solus propemodum hebraicè doctus, non hebraici istius à se græcè & latinè facti, sed græci potiùs vestigia sequitur, nec Christi colloquium à resurrectione cum Jacobo justo institutum, quod ex Evangelio hebræo in commentarios suos transcripserat, nec illam de cœmentario narrationem, qui ne in summa mendicitate esset, aridam manum vigori pristino sibi à Christo restitui precatus impetrarit, pro veris certisque habet, ceu ex, iis quæ in vita S. Justi, & in Matth. c. 12. tradit, videre est. Unde haud improbabiliter colligas cum Ligthf. H.H. ad Matth. 1.23. versionem illam fuisse ex textu Græco

confectam, quam B. Pater pro avtographo arripuerit. Nec est ut hic quispiam ad recentiores Evangelii hebraici Matth. editiones, à Sebast. Münstero, Joh. Tilio, Quinquarboreo ac Mercero adornatas, provocet. Illa enim exemplaria nec hominis hebræi, nec Matthæi esse, ex barbarismis & solœcismis in iisdem frequentibus probat in Critic. sacr. cap. 3. sect. 2. q. 2. B. August. Pfeiff. Quod in specie ad Joh. Tilii Episcopi duobus ab hinc seculis Briocensis editionem Lutetiæ vulgatam attinet, illam subinde ad versionem potiùs vulgatam latinam, quam textum græcum procuratam, exemplis luculentis probavit E'βεβαιώσατο Wagens. Sot. p. 176. & 592. coll. p. 1122. Cæterum Parisiis à Joh. Benenato codicem Evangelii Divi Lucæ hebræum excusum esse, B. Saub. posth. p. 207. auctor est, ex quo nonnisi oppidò elumbe quis necteret argumentum, pro Evangelio Lucæ Hebraicè primitus exarato, quod nemo, quantum scimus, publicè hactenus asserere ausus est, privatam enim imbecillemque paucorum, quam memorat Füllerus Misc. l. 4. c. 1. conjecturam hic parum attendimus. Syriacum autem exemplar, prout nunc extat, versionem potiùs esse ex græco traductam, quam textum primigenium, ad cujus filum græca sint conformata, apud omnes est in confesso. Qvum tamen (3.) divina providentia hoc nunquam fuisset passa, ut pretiosus adeò thesaurus, quem non frustra conscribi fecerat, interiret & posteritati prorsus eriperetur. Quis enim dixerit, librum aliquem à DEO canoni Ecclesiæ consecratum, ita potuisse evanescere, ut ab eâdem legi consulique amplius non posset. Nazaræorum Ebionitarumque, quod aliqui fortassè huc referrent, multis modis depravatum interpolatumque esse constat. Conferri hanc in rem poterit laudatus sæpius Majus contra Simonium c. 7. 8. atque 9. integro. Denique (4) non apparet, qvum à plantatæ jam Ecclesiæ memoriâ, in omnibus Ecclesiasticis monumentis, neutrius exempla, vel publicâ, vel græci alicujus Viri privatâ fide spectata reperti sint, quâ ratione totius Ecclesiæ,

clesiæ, Patrumque tunc temporis viventium augustissimorum, in rei pretiosissimæ thesauro conservando, negligentia excusari possit aut debeat. Sed filum hic abrumpimus, & B. L. ad Flacii præfat. Glossæ præfixam, cujus argumenta Majus l. c. c. 5. contra Simonii objectiones exceptionesque vindicavit solidè, & Erasm. Schmidii præf. ad Matth. aliosque plures in vulgus notos, qui pluribus hoc executi sunt, brevitatis studio remissum volumus.

§. IV. Licet igitur non admittamus, vel Christum Apostolosque in vulgari vitâ, lingvâ isthâc Syriacâ usos, vel in eâdem ullum N. T. Librum canonicum, Spiritus S. instinctu exaratum fuisse, nulli tamen dubitamus, quin hujus lingvæ usum in explanandis vocibus phrasibusque N. T. Chaldaicis tueamur. Sunt enim hæ lingvæ adeò inter se affines, ut à Viris in hac palæstra exercitatissimis, Lud. de Dieu, præf. Gramm. LL. OO. Brian. Walton, Proleg. 13. §. 2. 3. & 4. &c. pro unâ eâdemq; habeantur, cui quidem sententiæ Mayer. Phil. p. 2. per integrum caput primum pluribus contradicit. Hoc certum & extra dubiam controversiæ aleam positum est, sive Chaldaica & Syriaca unius lingvæ diversæ sint dialecti, sive lingvæ affines, quæ tantum sono clariori horridiorique, vocabulis perpaucis eorundemque significatione in utraque diversa, nec non formatione aliquantum discrepent; quod una ex altera egregiè nonnunquam explicari illustrarique possit, ac proinde ex lingvâ Syriacâ voces Chaldaicas lucem quandoque mirificam expectare, nemo facilè inficias ibit. Idque per aliquot exempla uberius declarare conabimur, omnia enim, quibus Syrus Interpres lucem fœneratur, percurrere nunc non licebit. Itaque unum alterumque paucis nunc speciminis loco attigisse, contenti erimus, in reliquis B. L. consulere hic poterit Pfeiff. Exotica N. T. Dubiis Vexatis subjuncta, aliosque.

§. V. De phrasibus styloque N. T. difficillima inter eruditos movetur quæstio; sint ne eidem Hebraismi, Chaldaismi

daiſmi ac Syriaſmi intermixti, nec ne? De qua in utramque partem proſtant ſcripta eruditiſſima. Heinſii ad Nonnum Exercitationes & præf. in Exercit.Sacras N. T. & huic oppoſita, Salmaſii Commentarius de Lingva Helleniſtica, Funus & Oſſilegium Lingv. Helleniſtic. Joh. Croji Obſerv. in N.T. c.36. Matth. Cotteni Exercit. de Helleniſtis & Lingvâ Helleniſticâ. Eraſm.Schmid. Annot. in N.T. Erici Oſtermanni Diſpp. bene multæ. Seb. Pfochenii Diatribe de Lingvæ Græcæ N.T. Puritate, Stolbergii & Bœbelii Diſſertationes. Quos refutare aggreſſi ſunt Wyſſius in Dialectologia Sacra, Gatackerus de Stylo N.T. Tract. & Vorſtius Philol.Sacra, Olearij Diſſert.de Stylo N.T. itemq; Bœclerus. Nos quanquam adeò frequentes non videamus Hebraiſmos & Chaldæo-Syriaſmos, quam jactantur à multis, præcipuè cum aliquot locorum centuriis larvam hebraiſmi detraxerit jam pridem Beza, Eraſm.Schmid. atque Pfochenius, omnes tamen omnino etiam ibi, ubi Apoſtoli & Evangeliſtæ aliena nonſolum verba transferunt, ſed & ex ſuo ſenſu loqvuntur, hebraiſmos negare vix ſuſtinebimus. Namque hujus exemplum manifeſtius Matth. 12.40. ſupereſſe perſvaſi ſumus, quàm quod ullâ veritatis ſpecie negari poſſit. Ibi enim quando ſcribit Evangeliſta: Salvatorem Judæis ſignum quærentibus reſpondiſſe: *Generatio prava & adultera ſignum quærit, & ſignum non dabitur illi, niſi ſignum Jonæ Prophetæ; Quemadmodum enim fuit Jonas in ventre ceti tribus diebus & tribus noctibus: ſic erit Filius hominis in corde terræ,* τρεῖς ἡμέρας καὶ τρεῖς νύκτας, *tribus diebus & tribus noctibus.* Difficultatem ex hoc loco cum Matth. 16.21. Luc. 9.22. c.24.21. & 13. itemque Paſſionis hiſtoriâ collato obortam, nemo, quod ſciam, rectius enodavit, quam B. Saub. Palæſtr. p. 209. & 217. ſeqq. atque Ligthf. Hor.Hebr. in hunc locum, qui ex Talm. Hieroſ. Maſſech. Schabbath. cap.9. item fol. 12. col. 1. Talm. Babyl. Maſſ. Avoda Sara fol. 75. col. 1. annotarunt, apud Judæos conſvetum fuiſſe, ut totum νυχθήμερον vocab. עונה deſignaretur, ita quidem ut illud non, prout aliàs à nocte, ſed

ſed à die incipientes, quamvis ejus partem voce in vulgus notâ עונה ſignificarent, quam Evangeliſta, quia aliter per lingvæ genium non poterat, expreſſit *per noctem diemque*; Quam conciliandi rationem omnibus, quas hactenus nobis videre contigit, præferendam exiſtimamns, quia omnium optimè declarat, quomodo ſalvâ veritate Chriſtus triduo & trinoctio in corde terræ permanſerit. Cui alioquin ſatisfacere non videtur communiter recepta ſententia, de ſynecdochica vocis acceptione, multo minus ſingularis Trilleri, in libello non ita pridem germanicè emiſſo, cui tit. Unterſuchung etlicher Oerter N. T. p. 196. edit. in 8. qui dies noctesq; Judæorum atq; antipodum unà computando, difficultatem omnem putat ſuperatam. Cum conſtans non modo loquendi ratio, ſed ipſa etiam temporum illorum ætas obſtare videatur, quà de antipodibus quicquam conſtitiſſe probandum erat. Quoniam tamen, ut ſupra dictum, rariores ſunt ejusmodi phraſes ac conſtructiones, quibus Syriaca lingva lucem aliquam poſſet affundere, de iis nihil peculiare notabimus.

§. VI. Primus igitur locus, quem perluſtrabimus, eſto Matth. 27. v. 46. Ἠλὶ Ἠλὶ λαμὰ σαβαχθανὶ, quæ verba ex Pſalm. 22. deſumta eſſe, in aprico eſt. Ubi Septuaginta Interpretes, & hos ſecutus vulgatus latinus, πρόσχες μοι aut *reſpice ad me* inſerentes, quosdam in eam deduxerunt ſententiam, ut ſtatuerent codice non punctato illos uſos, pro altero, quod hodie in Pſalm. cit. habetur אֵלִי legiſſe אֵלַי, quam concludendi rationem me non aſſequi ingenuè profiteor. Videtur enim pari ratione, adeoque pari vi ac valore inferri poſſe, Interpretes iſtos nequidem habuiſſe biblia iisdem conſtantia literis ac vocibus, quæ nobis hodie ſunt in uſu. Abierunt quippe Septuaginta Interpretes iſti (ut vulgò audiunt) à textus primigenii veritate, ubi non à punctorum vocalium defectu, ſed à conſonarum diverſitate, errorem oriri neceſſe fuit. Exemplo poterit eſſe notabilis illa differentia, quæ Gen. 5. inter textum hebræum

&

& LXX. invenitur, in assignanda Patriarcharum ætate. Nam Adamus juxta Hebræos Sethum genuit anno ætatis 130, qui vixit exinde annos 800, mortuus tandem anno ætatis 930. Ast juxta LXX, Sethum genuit Adam anno ætatis 230, & vixit exinde annos 700, mortuus anno ætatis 930. Eandem diversitatem deprehendere licet in Chronologia Sethi, Enosch, Kainan, Mahalalel, Jared, Henoch, Methusalem, Lamech, Noah, atque Schem. Psalm. 40. 7. pro hebr. אזנים כרית לי *aures perforasti mihi*, ponunt illi: σῶμα κατηρτίσω μοι *corpus verò mihi adaptasti*; pariter Gen. 49. 22. pro hebr. צערה *progrediebatur*, legunt ר in ר mutato, צערה *adolescentior*, Ezech. 34. 16. pro אשמיר *disperdam*, eodem errore ipsi & vulgatus cum illis, habent אשמור *custodiam*, Jerem. 5. 6. pro hebr. זעב ערבות *lupus desertorum*, juxta Pfeiff. D.V.h.l. aut *lupus vesperarum* seu *vespertinus* juxta D. Maj. H. A. p. 807. ss. ponunt Septuag. Interpr. ר & ר denuò confundentes non tantùm, sed unam insuper vocem in duas disrumpentes: λύκος ἕως τῶν οἰκιῶν *lupus usque ad domus*, ὠλόθρευσεν αὐτὸς *vastabit eos*. Supersedeo Hab. 1. 4. hic commemorare, ubi pro hebræorum בגוים *inter gentes*, multis videntur legisse בוגרים *contemtores*, aliaque infinita ubivis obvia. De illo enim loco haud contemnenda, lingvæ Arabicæ ope, in medium protulit immortale Anglorum decus Eduard. Pocock. Not. Misc. ad Portam Mosis p. 30. ss. quæ pro excusandis tam LXX. Interpretibus, quàm conciliando Act. 13. v. 41. videntur facere insigniter, ut neutiquam cum Knatchbull. Animadv. h. l. Masorethis errorem, quasi pro ר apposuerint ו, impingere sit necessum. Reliqua alium sibi vindicant locum, neque enim in animum induximus, difficilem hanc controversiam hic pertractare ex professo, sed uno tantum alteroque manifestiori exemplo argumenti supra allati imbecillitatem commonstrare. Cæterum si id nobis negotii datum putaremus, alias additamenti hujus, similiumq; mutationum item, & reliquarũ, si quæ sunt, diversitatum aliarum, causas possemus afferre, si videl. per institutum in his indagandis, nobis liceret esse prolixioribus.

§. VII.

§. VII. Utcunque autem se res habeat circa LXX. & vulgatam latinam versionem, nobis de lingva, quà Salvator in flebili hâc exclamatione usus fuerit, disquisituris, ea obesse non poterunt. Sunt verò hic mira sententiarum divortia, aliis pro Chaldaico, pro Syriaco aliis, aliisque pro hebraico idiomate decertantibus acriter. Nec de lana caprina hanc fore disquisitionem existimamus, cum Judæi interque illos, quidam R. Isaac b. Abrah. in Libro contra N. T. f. 15. 16. apud Müllerum in Judaismo p. 1296. ex Matthæo cum Marco collato, Apostolorum seu Evangelistarum, in hebraicis inscitiam arguere sustineat. Chaldaicè Christum hæc allegasse ex Targum. seu versione chaldaicâ, asserit Chamier Panstr. Cathol. T. 1. L. 11. c. 7. n. 13. p. 197. verbis sequentibus: *Tum temporis* (Christi videlicet) *exstabat jam paraphrasis Jonatha, quæ populo vulgarem redderet Scripturæ textum, adeò accedens ad lingvam Syriacam, ut unam eandemque Grammaticam docti confecerint, sicut apud Græcos idiomata seu dialecti unà eademque opera docentur, unde desumtum Marc. 15. Eloi Eloi lamma sebachtani, nisi quod pro* מטול מה *Caldaico, conservatum est* למה *hebraicum, ut sciamus, & citatam esse Scripturam à Christo, accommodatè ad usum vulgarem.* Aberrat quidem in eo, quod Targum in Psalmos extans adscribit Jonathæ, quem Auctorem hujus Targum non esse, tàm stylus, quàm res ipsa loquitur, ut fidem Galatino de A. C. V. L. 1. c. 3. l. 3. c. 5. & l. 10. c. 4. id absque idoneis antiquiorum testimoniis perhibenti, facilè non adhibeamus. Constat enim dubioque prorsus omni caret, quam sublestæ hic ex Judæo Christianorum proselytus sit fidei, sicubi ducem suum Porchetum, de victoriâ adversus Judæos potiùs, quam Raymundum deserit. Vulgo istud Targum Josepho Lusco adscribitur, de quo quando vixerit, discrepantes sunt auctorum sententiæ, aliis illum prorsus incertum statuentibus. Alioquin eandem cum Chamiero hic fovent sententiam, de adhibitâ à Christo in cruce pendente, Chaldaicâ lingvâ, B. Schickard. Bechinnath. Happerusch. Disp. I.

Hotting. Thes. Phil. l. 1. c. 3. p. 255. atque Leusd. Phil. Hebr. mixto. Quorum sententiæ lubentes subscriberemus, nisi Evangelista Marcus indice quasi digito idioma, quod Christus adhibuit, ostensurus, pro Hebræis Chaldæisque communi אלי אלי ἡλὶ ἡλὶ substitueret hebræis proprium אלהי אלהי ἐλωὶ ἐλωὶ, quod neutiquam pro Chaldæo poterit venditari, nam chaldaicè אלהי אלהי ἐλαὶ ἐλαὶ dicendum scribendumque fuisset. Nec dubium movebit quispiam ex Eliæ ad R. Mosis Kimchi שבולי הדעת verbis, qui l. 1. port. 4. c. 7. p. 88. edit. L'Emp. Hispanos aliosque, ut vocat, barbaros in pronunciando eundem τῷ (ˉ) ac (ˇ) sonum tribuentes, veram ac genuinam proferendæ hujus vocalis rationem non callere existimat, quippe quæ sonum teneat inter patach & cholem medium; Hæc namque legendi ratio, quam Germani Poloniq; Judæi hodienum seqvuntur, plaustro argumentorum à Venerab. Præceptore nostro Danzio, Gramm. hebr. p. 45. ss. est explosa, quæ huc transscribere nil attinet. Quod verò scribunt nonnulli, dici etiam potuisse ἐλωάι, id in prima grammatices rudimenta peccatum esse, omnibus, hebraica levi brachio tractantibus, notum perspectumque est. Multò minus Syriaca illa dixeris cum Mayero, qui Phil. p. 2. c. 2. theor. 1. p. 80. scribere non veretur: *Quis nisi Carneades dubitare ausit*, ἐλωὶ *esse Syrum* אלהי, *quod & Syrus Paraphrastes hoc loco adhibet, nam istis* אֱלָהָא *Deum* significat, אֱלָהִי *Deum meum.* In quibus vice plus simplici à janua aberrasse videtur; primò enim non ἐλωὶ dici scribive græcè debuisset, sed ἀλωὶ, quoniam Syri, ut constat, non ܐܶܠܳܗܺܝ sed ܐܶܠܳܗ̣ legunt, nec enim ipsi scheva sub ܗ tolerant, sed mutant nisi in verbo aut nomine origine græco fuerit, communissimè & ordinariè in ܐ, quam pronunciationem ipsi quoque Syri, interque hos nominatim Georg. Amira, Lud. de Dieu præf. Apoc. teste, approbant. Deinceps neque ἀλωὶ sed ἀλὼ ex supra com-

commonstratis legendum fuisset. Ipse igitur Mayerus viderit, quam solidè hinc convellat, Viri cujusdam, ut loqui amat, doctissimi (Dan. scil. Schwenteri) assertum: *Zekopho Syrorum in N. T. à Spiritu S. semper per* A *expressum esse, non autem per* O, *excepto unico loco aut vocabulo* πολυθεῶ Matth. 27. 33. Cum itaque certum sit, priora hujus sententiæ verba, Christum in eâ protulisse lingvâ, quà per Davidem primum fuerant consignata, ratio nulla apparet, eccur ultimum itidem non hebraicè potiùs quàm chaldaicè fuisset elocutus. Insuper λάμμα prout apud Marcum l. c. occurrit, hebraicum esse largiuntur plerique omnes, chaldaicè enim sonat למה sine Dagesch forti, de quo infrà dicemus pluribus. Denique accedit, quod nequidem in Targum Psalm. 22. occurrat illud למא, sed potiùs מטול מה, nullâ igitur ratione Salvator verba ex Chaldaica hujus loci Paraphrasi desumsisse, dici potest. Cum Drusio Parall. sacr. in h. l. atque Leusden. l. c. ad Paraphrasin non amplius extantem provocare, minus tutum videtur, *quis enim*, ait B. Pfeiff. Crit. Sacr. c. 8. sect. 2. qu. 2. p. m. 234. *certiores nos faciet, quod cum Salvatoris allegationibus consenserit.* Imo quis probabit solidè, unquam aliud Targum in Psalmos vulgo receptum extitisse, quàm hodiernum, hæc quoad non fuerint probata, frustra scribit Drusius loco jam dicto: *Non abs re arbitramur, pleraque testimonia V. T. citata esse ex traductione Chaldaicâ eâ, quà tunc vulgo utebantur, quæ si jam extaret, haud dubiè nos juvaret in his locis conciliandis, dirimendaque pugnâ, sicubi dissidere videantur.*

§. VIII. Syriacè Salvatorem nostrum hæc elocutum fuisse, inquit ad loc. Matth. Ligthf. H. H. p. 494. seq. scribens: *Christum Syriacâ dialecto hic usum, satis arguit vox* σαβαχθανί; Dubium, referrine huc debeat Hacksp. not. phil. ad Ps. 22. *Jacobus Martini*, inquiens, *L. de 3. Elohim vult, Christum in cruce verba hebraicè protulisse, sed minus rectè sentit. Verba enim quæ protulit tunc Christus, Syriaca vel Chaldaica erant*; dubitanter enim loquitur, perinde ut Münsterus h. l.

qui ait: *Ut Christus apud vulgares homines, in omnibus lingvâ vulgari est usus, h. e. Chaldaicâ seu Syriacâ, ita quoque in cruce lingvâ illâ hanc querelam expressit.* Potius provocabimus ad Drusium, qui in not. ad Parall. sacr. ad voc. Sebaçt. inquit: *Syriacè Christus locutus est, non igitur mirum, si usus est verbo ejus lingvæ.* Enim verò hanc sententiam vel ipse vocum sonus formaque externa profligare videtur; Licet non sustineamus cum quibusdam audaçter affirmare, vocem אלי ܐܠܝ Syris prorsus esse inusitatam (ut Grotius suâ in h.l. crisi supersedere potuisset, quando apud Syrum transpositionem per errorem τοῦ ܐܠܝ pro ܐܠܗ factam, frustra temereqve statuit) quippe quæ occurrit Jesa. 14. 13. & Gen. 35. 10. & fortè etiam alibi. Patet tamen nihilominus, Evangelistæ non ἠλὶ ἠλὶ, sed ἤλ ἤλ scribendum fuisse, quandoquidem analogia docet, nullam literam quiescentem absque vocali subscriptâ posse moveri, unde Ligthf. l. c. verbis antea allatis immediatè subjicit: *At vox Eli Eli parum Syrisat.* Nec adstantes in eam devenissent opinionem, ac si Christus in subsidium vocaret Eliam, moribundis ex ipsorum hypothesi subvenientem, & arcana revelantem. Reliqua etiam non magis cum Syrorum vocibus conveniunt, ceu utrasque conferenti obscurum esse non potest.

§. IX. Erasmus igitur atque Beza in h.l. statuunt, Christum verba prout Psalm. 22. extant, adhibuisse invariata. Illius verba sunt: *Probabile est Christum verba Psalmi pronunciasse, ut ab ipso Psalmographo scripta sunt.* Hic verò notat: *Ego Christum omninò arbitror, ipsas Davidis voces hebræas usurpasse, & sic totum hunc locum scribendum esse, id quod etiam appparet ex manifestiore paranomasia Eli & Eliæ.* Atque huic sententiæ & nos adstipulamur, existimantes, sic omnibus difficultatibus rectissimè obviam iri posse, si dicamus, Christum de cruce pendentem, mortique vicinum, more Judæorum precantium, verba usurpasse Psalm. 22. merè hebraica

braica, id quod apud Matthæum duæ, apud Marcum verò tres priores voces, manifestò innuunt. His admissis patet, quà ratione adstantium nonnulli collegerint, Eliam ab optimo Salvatore nostro fuisse invocatum, sive id ex ignorantiâ Hebraismi, sive, quod magis sit probabile, per sarcasmum & lusum factum dixeris. Evangelista retinet priora Christi formalia verba, ut occasionem afflictæ Christo à Judæis sententiæ lectori subministraret, ad quam quia posteriora non adeò facere videbantur, substituit in locum illorum Chaldaica, iisdem tunc magis nota; non quasi Christus ea sic permiscuerit, sed ut Judæorum consuleret inscitiæ. Eâdem propemodum ratione, quà Syrus pro usitatiori suo ܐܠܗܝ ܐܠܗܝ vel ܐܠܗܝ ܐܠܗܝ adhibuit minus usitatum ܐܝܠܝ ܐܝܠܝ, reliquis cum magis vulgaribus commutatis. Ita enim videmus, Christum in his terris agentem, se conformasse Judæorum placitis, verbo divino non adversantibus, qui cum mallent preces in lingvâ hebræâ, etsi non intellectâ, fundere, quàm in ullâ aliâ, & dicta inprimis Scripturæ eodem, quo tradita erant, idiomate proferre amabant, ita ut, postquam lingva hebræa inter ipsos jam pridem desierat esse vernacula, nihilominus κατὰ τὴν σάββατον Mosis legem curarent prælegi lingvâ hebraicâ, subjunctâ post quemvis versum interpretatione chaldaicâ. Unde ille scribendi ritus animadvertitur in antiquis Codicibus MSC, in quibus versui hebraico finito, continuâ serie subnectitur paraphrasis chaldaica. Sed pluribus de hoc verbis non est opus, posteaquam nec chaldaicè nec syriacè hæc protulisse Christum supra probatum fuit; nihil proinde amplius restabat, quam ut hebraicè id factum dicas. Reliqvum est, ut de posterioribus λαμὰ & σαβαχθανί pauca subjiciamus, eaque, quæ scrupulum injicere posse videbantur, removeamus. Λαμὰ, quod Matthæus scribit, dubio quidem omni

 caret,

caret, si observes, scheva antiquis nullum certum fixumque sonum habuisse, sed modo vocalis subsequentis, (etiamsi non erat ante gutturalem, quod tradit Mos. Kimchi שבילי הדעת l. 1. port. 4. c. 5. p. 82. edit. L'Emp.) modo antecedentis sonum induisse, sequentia edocent exempla כְּנַעַן *Canaan*, צְבָאוֹת Rom. 9. 29. Σαβαὼθ, סְדֹם *Sodoma*, & Hieronym. in Prologo Galeato de Regum libris verba faciens scribit: *Quartus Malachim i. e. Regum: meliusque multò est Malachim i. e. Regum, quàm Malachot i. e. regnorum dicere.* Atque sic pro Chaldaico לְמָא? Evangelista haud quaquam vitiosè posuit λαμὰ. Marcus verò, quemadmodum est epitomator & explicator subinde Matthæi, ita prioribus duobus vocabulis hebr. Ἐλωὶ Ἐλωὶ jungit nunc tertium λαμμᾶ, ex ipso Psalm. 22. petitum, illudque scribit per M duplicatum, cum in Ps. cit. non nisi per simplex exaratum inveniatur, quia pro ultimo hebr. עזבתני substituit, æque ac Matthæus, Chald. שבקתני. Teste enim Abendana apud R. Sal. b. Mel. ad 2. Sam. 2. 22. fol. 67. col. 2. lin. 37. ss.

כל למה שאחריו אחרת מאותיות אה"ע הוא רפה ומלרע ובאו חמשה ברגש ומלעיל וזה אחד מהם

h. e. למה, *post quod sequitur una ex literis* אה"ע, *semper est absque dagesch in* מ, *tonumque habet in ultimâ, quinque locis exceptis, ex quibus hic noster.* 2. Sam. 2. 22. In Psalmo proinde citato, quemadmodum ex dictis potest intelligi, quia post vocem למה sequebatur verbum עזבתני à gutturali ע incipiens, non imprimebatur τῷ מ dagesch, in cujus locum cum Marcus substituit Chaldaicum σαβαχθανί, cujus litera initialis ex gutturalibus dictis non erat, rectissimè comparet dagesch expressum. Et sic ex hac Marci allegatione nondum apparet, uti volebat Mayer. Phil. l. 2. c. 2. theor. 1. p. 88. *Apostolorum tempore istam punctorum subtilitatem non observatam fuisse, ut in hodiernis nostris codicibus observari videmus.* Ultimum σαβαχθανί non esse Syriacum, ex hactenus traditis ulteriori probatione non eget, Syriacè enim sonaret

ܫܒܩܬܢܝ. Nec hebraicum dixerit qui vel duas lineas hebraicas legere didicit Chaldaicum itaque est, unius organi literis inter se permutatis, quod lingvis orientalibus frequentissimum esse, nemo est qui inficias eat; confer sis, quæ ad os atheis obthurandum, de hac voce monuit Famigeratiss. Danzius Gram. Hebr. p. 13. Atque in hujus vocis significatione eruendâ opem suam egregiam confert Syrus, qui eâ in sensu *deserendi* juxta cum Chaldæo utitur frequentissimè, ut Matth. 13. 36. c. 5. 32. Dan. 4. 23. c. 2. 44. Adeoque impertinens est Bellarm. L. 2. c. 6. de V. D. fol. 35. crisis, qui sic scribit: *Quod in græco & latino habemus sebactani non bhasabtani, ut esse debuit, factum est, ut facilius pronunciaretur, quemadmodum dicere solemus Isaiam, Ezechiam, Hieremiam, Assverum, & alia hujusmodi pro Jesajahu, Jirmejahu, Chizkijahu, Achasveros, & aliis hebraicis durissimis vocibus*; quem hoc nomine, pluribus refutatum lege apud Mayer. l. sæpius c. p. 84.

§. X. Non possumus tamen probare audacem Bezæ censuram, qui l. c. existimat, ita hæc verba scribenda fuisse, prout ea Salvator sit prolocutus. Quasi verò nostrum sit, Spiritui S. per homines θεοπνεύστους loquenti modum præscribere, quibus verbis, quâve ratione illud agere debeat, & non potiùs in ejus arbitrio situm, unam eandemque sententiam aliis iisque vel clarioribus, vel magis emphaticis vocabulis exprimere, quam ea fuerunt, quæ primi sententiæ Auctores usurparant. Sufficit, eandem à Matthæo pariter ac Marco Spiritus S. ductu traditam nobis esse mentem ac sententiam, verbis illis, quæ Christus adhibuit, synonymis. §. enim præcedente affatim exemplorum adduximus, quibus dilucidè, & quod dici solet, ad oculum ostenderemus, Chaldæo-Syr. שבקתני idem prorsus significare, quod hebr. עזבתני. Si quis in jam dictis nolit acquiescere, eaque πῦξ καὶ λᾶξ θεοπνευστία refragari morosius contendat, eum ad Marcum ablegabimus, substituentem pro Matthæi Ἠλὶ Ἠλὶ suum Ἐλαὶ Ἐλωὶ, itemque

que pro λαμὰ suum λαμμᾶ, & respondeat tunc, utrum Marcus perinde ut Matthæus, ductu & impulsu Spiritus S. Evangelium suum concinnarit, nec ne? certè Christianus hoc non inficiabitur. Ex hoc igitur loco facilè constabit, liberum esse Divino Spiritui, rem eandem, ordine verbisque mutatis, sensu tamen manente eodem, enunciare. Segetem harum discrepantiarum uberrimam ex V. T. libris dabunt Regg. atque Chron. itemque Samuel. libri, & Psalmi inter se collati, ex quibus aliquot producere licebit 1. Reg. 22. 2. ff. coll. cum 2. Paral. 18. 2. ff. item 2. Sam. 22. quem locum à Ps. 18. plusquam nonagesies discrepare, juxta classes suas notavit celeb. Tubing. Philologus, felicissimus ille nominum propriorum indagator, Matth. Hillerus, in suo Arcano Keri & Ketif l. 1. c. 1. p. 14. ff. Quin ex ipsis Judæis diligentissimus & accuratissimus cohærentiæ Scripturarum indagator, Don Isaac Abarb. in Prophetas priores fol. 175. col. 1. lin. 16. fin. scribit: ואניחפשתי בשירה בשני המקומות ומצאתי בה שבעים וארבעה חלופים *Ego diligenter scrutatus sum canticum hoc in duobus locis descriptum, & deprehendi in eo 74. discrepantias.* Aliquot etiam inter Psalm. 19. & 105. cum 1. Paral. 17. collatum monstrat idem ibid. lin. 12. Atque in varietatum illarum causas prolixè inquirit, easque ex scopo, quem David sibi utrobique præfixerat, diverso, l. c. lin. penult. laborat dare expeditas. Manet itaque etiamnùm utriusque Evangelii θεοπνευστία inconcussa, & fides græcorum codicum illæsa atque intemerata, nec quicquam corruptionis in illis statuitur, quia prout primùm ab Auctore profecti legerunt σαβαχθανί, ita etiamnùm illud tenent invariatum.

§. XI. At satis diu circa primum locum hæsimus, pedem nunc promoveamus ad alium, quem exhibet nobis Paulus 1. Corinth. 16. 22. dum ei qui Christum non diligit, anathema denunciat sequentem in modum: εἴ τις οὐ φιλεῖ τὸν κύριον Ἰησοῦν Χριστὸν ἤτω ἀνάθεμα μαρὰν ἀθά. Quæ

Quæ postremæ voces cum partim in hebræa, partim in græca lingva significatum non obtineant convenientem, Interpretibus ansam præbuere, ut mirum in modum in his explicandis dissiderent ab invicem. Balduin. comm. in h. l. p. m. 556. inquit: Μαραν ἀθά *Chaldæis est maramatha, quod idem est ac hebræum cherem execratio ac condemnatio.* Quanquam verò vox אתה propriè sit Chaldaica, atque ex eâdem lingvâ commodè satis explicetur, non obstante quod in ipsâ quoque lingvâ hebræâ ejusdem aliquis sit usus; nulla tamen vox apud Chaldæos occurrit, quæ scribatur מרם: & si occurreret, parum profectò ad præsens esset factura, quia Divus Apostolus non μαραμ per μ, sed μαραν per ν, exaravit. Sed de eo, an cum hebr. חרם quoad sensum conveniat? videri possunt Pfeiff. Antiq. hebr. Specim. Dec. 3. pos. 2. p. 61. ss. & Lightf. H. H. h. l. Eodem censu habenda est B. Sal. Gesneri sententia, quam in Psalm. 12. ita exponit ipse: *Videtur Syriacum μαραμ, præpositâ literâ heemanthi, ab Aram descendere, qui erat filius Sem, à quo Aramia sive potiùs Armenia, quæ postea vocata est Syria, ut apparet Gen. 10. 22. ut Syri ad generis sui auctorem respicientes, Deum & Dominum nominarint μαραμ, sicut idolum Maram, quod Arami fuit, suo adhuc tempore extitisse in Phœnicia, testatur Hieronymus.* Quæ derivatio magis contorta est, quam præcedens; siquidem non facilè liquet, quâ ratione vox μαραν ab Aram, præpositâ literâ heemanthicâ, queat derivari, ut ejus significatio sit maneatque *Dominus*, quod ex Hieronym. Theophyl. &c. asseruerat. Alii cum B. Luthero in glossa marginali adjiciente, der sey verbannet zum Tode/ hunc locum exponunt, quasi legatur מְחֻרָם מוֹתָה *maledictus mortis* seu *ad mortem*, cui sententiæ adeò est addictus Rauppius, ut in Lexico suo ad hanc vocem, in N. T. codd. ita legendum ac corrigendum esse existimet. Frustra verò ad violentam adeò nodi non Gordii dissecationem, gladio Alexandrino perficiendam, confugit, si solutio ejus dari potest magis plana ac expedita, quam mox afferemus. Tolerabilior est quorundam explicatio, qui eam ex מחרם & אתה *maledictus Tu*, confla-

tam ſtatuunt, quaſi Paulus ad anathematizandum converſus, his verbis eundem allocutus fuiſſet; Quamvis & illa cum præſenti N. T. lectione vix ac nevix quidem queat conciliari. B. quidem Lutherum hanc vocem ſecundùm ſignificationem ſuam propriam non transtuliſſe, mirum haud eſt, quia Lutheri tempore Syrus N. T. codex in Germania nondum extitit excuſus, quippe qui integro fermè decennio poſt obitum ejus, luci publicæ ſumtibus Regiis expoſitus fuit. Nec dubium, quin Lutherus noſter, ſi copia hujus codicis ipſi fuiſſet data, non tantùm hunc locum, ſed & alia obſcuriora, lingvæ Syriacæ beneficio, egregiè illuſtraſſet. Propius ad rem accedere videtur B. Hieronymus, qui in Epiſt. 137. ad Marcellam f. 325. de hoc loco ſcribit: *Maranatha magis Syrum eſt quam hebræum, tametſi ex confinio utrarumque lingvarum, aliquid hebræum ſonet, & interpretetur, Dominus noſter venit: ut ſit ſenſus, ſi quis non amat Dominum Jeſum Chriſtum, anathema ſit; & illo completo deinceps inferatur: Dominus noſter venit. Quod ſuperfluum ſit, odiis pertinacibus adverſus eum velle contendere, quem veniſſe jam conſtet.* Syrus ad indubitatam vocum ſignificationem deducit, quando reddidit: ܡܪܢܐ ܬܐܬܐ ܢܗܘܐ ܠܥܠܡ *ſit anathema Dominus noſter venit*, ſive, ut Cornel. à Lap. h. l. p. 313. in optativo verti mavult: *Dominus noſter veniat*, vel quemadmodum Armenus cit. Pfeiff. in Exot. reddidit: *adveniente Domino.* Eſt enim vox Syriaca ܡܪܢܐ alioquin absque ſuffixo ܡܪܢܐ perinde ut verbum ܬܐܬܐ in pluribus N. T. paginis obvia, à quibus licet quoad ſonum discrepent vocabula in græco textu expreſſa, quippe quarum formam chaldaicam eſſe, agnoſcit etiam Vatablus in h. l. nihilo ſecius tamen in eruendo eorundem ſignificatu, facem lectori præfert, nec de formâ eum, ſit modo lingvæ Syriacæ non planè rudis, dubitantem dimittit. Nam ſi cui cognitum eſt atque perſpectum, quod Syri pro Chald. (ר)

ſuum

ſuum Skopho adhibeant, ceu vel ſolum particip. præſens. conj. peal, ut alia exempla omittam, docet, ex ܩܛܠ ܐܢܬ confeſtim producet μαρὰν ἐθά. Si inſuper norit, quod Syri pro Scheva ſub ܐ in verbis nominibusque origine græcis, adhibeant communiſſimè ſuum Rvozo, facilè perſpicit chaldaicè illud in (ܬ) fuiſſe mutandum, juxta venerab. noſtri Danzii Aditum Syriæ Recluſ. §. 20. 2. coll. Inſt. Hebræo-Chald. §. 25. l. 1. quà ratione habebit voces formâ communiſſimâ præditas, ſignificationem exhibentes aptiſſimam, ut non poſſit non mirari varios variorum in re tam plana errores.

§. XII. Alius iterum locus eſt Marc. 5. 41. ubi Chriſtus ad defunctam Jairi filiam inquit: Ταλιθὰ κοῦμι. Verborum explicationem ipſe Evangeliſta ſubjungit tam claram, ut de iſtorum ſenſu dubitare, ſit in meridiana luce cœcutire. Attamen Interpretes lingvæ Chaldæo-Syriacæ minus periti, circa utramque aberrarunt. Operæ igitur pretium nos facturos credimus, ſi de utrâque paucis egerimus. Hieronymus quippe Zegero teſte locum hunc ex Actor. 9. verſ. 36. corrigendum, & pro Talitha Tabitha (in hodiernis tamen Hieron. editionibus conſtanter legitur Talitha) ſcribendum eſſe duxit, quod eſt nomen proprium Joppenſis fœmellæ, *damam* vel *capream* ſignificans, quodque non ſcribendum eſt Thabia, ut cenſet Joh. Reuchlin. ſive, ut auctore & ſvaſore familiari ſuo Hermolao Barbaro, græcâ voce ſynonymâ ſe appellavit, Capnio. Multò minus huc quadrat illa quorundam expoſitio apud B. Pfeiff. D. V. h. l. qui ex radice נבט intueri תַּבִּיטִי legendum divinarunt, ac per *reſpice* ſeu *tolle oculos* ſunt interpretati. Omnia è diametro expoſitioni ab Evangeliſta adjectæ repugnantia. Namque hic loci Evangeliſta vocem Ταλιθὰ non reddit *capream* ut Act. 9. ſed κοράσιον *puellam*. Quod fortè animadvertit ipſe Hieronymus, quare tam in lib. de Nominibus Hebraicis f. 441. (ſi modo auctor eſt hujusce)

jusce) quàm in Ep. ad Pamach. CI. f. 280. constanter Talitha scribit non Tabitha, hancque Lucas d. in l. non *respice* vel *oculos attolle*, sed δορκάς *caprea* interpretatur; quod est ipsissimum Syrorum ܛܒܝܬܐ Chaldæorumque טְבִיתָא ex Hebræorum צבי, צ pro more in ט mutato, Schevà, etiamsi non sequatur vel præcedat A, nihilominùs ita sonante, perinde ut pro גְּלִיל גוים Jes. 8. 23. LXX. pariter atque Matthæus c. 4. 15. γαλιλαία τῶν ἐθνῶν pronunciant, item pro שְׁמוּאֵל Σαμουὴλ, פְּרוּשִׁין Φαρισαῖοι, מְתוּשְׁלַח Μαθουσαλὰ, & juxta quosdam אִישְׁקְרִיוֹת Matth. 10. 4. Ἰσκαριώτης. Nec quicquam proficit Zegerus, qui, cum quædam exemplaria eaque veterum plurima, Ταβιθὰ, alia Ταλιθὰ legant, *Se induci in suspicionem*, ait, *vocabulum hoc antiquitus indifferenter scribi solitum, modo per λ modo per β, quemadmodum videmus fieri in* Βεελζεβουλ *&* Βεελζεβουβ; dubitari enim adhuc potest, sitne Βεελζεβουλ idem ac Βεελζεβουβ Eckronitarum idolum 2. Reg. 1. 2.? illud enim parum ad Archidiabolum quadraret. Potiùs existimarim à זבול *stercore*, (quo nomine communi ac generali quodvis idolum, ceu maximè execrandum Judæos appellitasse, ex Hieros. Berach. commonstrat in h. l. Lightf.) בעל זבוב, h. l. dictum fuisse Dæmoniorum principem, quasi Dominum idololatriæ, mali in his terris, ex Judæorum mente pessimi: præsertim cum exemplaria castigatiora accuratioraque non agnoscant Βεελζεβουβ sed Βεελζεβουλ. Potuit illa diversa quorundam codicum lectio originem traxisse ex Patris cujusdam ad h. l. animadversione, quam fortassis quidam illius auctoritati nimium tribuentes, tanquam notam usui futuram margini illeverunt, at error deinceps descriptorum textui ipsi hanc inseruit, prouti alicubi factum esse, observamus atque doleamus. Intereà tamen sunt, teste Erasmo, vetustissimi codd. Donatianici & Constantiensis, qui vocem legunt per λ, unde confidenter scribit in h. l. Drusius: *Tabitha κῶμαι mendum manifestum est, quod me auctore eluendum ex hoc loco, ubi*

ubi scriptum Talitha kumi; noli dubitare quin hæc scriptura vera sit. Idque egregiè confirmare videtur, diversa planè in utroque loco explicatio, ex qua constat, unum horum proprium esse, alterum appellativum, quæ neutiquam confundenda. Circa alterum verbum Kumi, Divus Chrysostomus (Si modo Homiliæ in Marcum per Gulielmum Parvum Trecassinæ primùm, deinde Sylvanectensis Ecclesiæ Episcopum & Parisiis Theologiæ Doctorem sub ejus nomine evulgatæ, non mentiuntur autorem.) finale jod afformativum, cum suffixo primæ personæ perperam confundit, quando Homil. 7. in Marcum scribit: *Ait ergo Talitha kumi, quod interpretatur puella surge mihi, si diceret Talitha kum, interpretaretur puella surge. Nunc verò, quia dixit Talitha kumi, interpretatur de Syrâ & Hebræâ linguâ, puella surge mihi. Kumi, h.e. surge mihi.* Et paucis interjectis denuò: *Et aliter possumus dicere: quia renasceris, puella vocaberis, Puella surge mihi, non tuo merito, sed mea gratia: mihi ergo surge quod sanaris, non ex tuis virtutibus.* Fallitur dum opinatur, sine pronominis connotatione dicendum fuisse, Talitha kum, quia enim Talitha est gen. fœmin. nullâ ratione kum dici scribive poterat per ea, quæ communi consensu exemplis sat copiosis confirmata docent Grammatici, verbum cum nominativo suo præmittendo, in numero non tantum ac personâ, sed genere etiam debere convenire. Sed prout tunc erant tempora, jacebant Biblia hebraica, iisque vulgò præferebatur in authentias thronum evecta LXX. Interpretum græca versio, contra quam disputans B. Hieroymus, multorum acerbas contradictiones sustinuit, adversus quas in omnibus fermè libb. bibl. præfationibus sese defendit: vide sis Prolog. ejus Galeatum & præf. in Jobum. Omnibus hisce dubiolis hactenus motis facilè satis fiet, si quis non pigrabitur codicem Syrum consulere, is verba græca explicationis loco superaddita omittit, totamque sententiam duabus complectitur voculis: ܛܠܝܬܐ ܩܘܡܝ atque eo

eo ipſo demonſtrat, hæc ſibi quaſi propria in eo idiomate, nullâ proſus uberiori explicatione eſſe indiga. Eſt enim illa in utroque genere adeò frequens in N. T. paraphraſi, ut aliqua hic proferre exempla, chartâ temporeque abutentis fore, arbitrer. Hæc verò ex Hebraiſmo, quocum Chald. & Syriaſm. eam habet communem, jam diu cognita habetur. Parvi momenti res eſt, utrum peccarit in eo Paraphraſtes, quod reliqua, his ab Evangeliſta adjecta, omiſerit penitus, non annexâ illorum explicatione, quam aliàs ſollicitè conſuevit obſervare, v. g. Matth. 1. verſ. 23.

ܘܢܩܪܘܢ ܠܗ ܫܡܗ ܥܡܢܘܐܝܠ ܕܦܫܪ ܥܡܢܢ ܐܠܗܐ ܀

& vocabunt nomen ejus Amanuel, quod exponitur nobiscum (eſt) Deus noſter.

Act. 1. v. 19. ܘܗܢܐ ܕܚܩܠ ܕܡܐ ܗܘܐ ܒܠܫܢܗ ܕܐܝܠܝܐ ܗܢܘܢ ܚܩܠܐ ܕܕܡܐ ܀

& ita vocatur ager iſte in lingva iſtius loci Chekal-demo, cujus explicatio eſt ager ſangvinis. Nihil enim ſummæ rei hinc decedit; quamvis negari non poſſit, rectius facturum fuiſſe Syrum, ſi ad exemplum allatorum, verbis ſynonymis, more Evangeliſtæ, explanationem appoſuiſſet. Gravius eſt, quod de vocibus à Marco interjectis, *tibi dico*, movet Eraſmus, qui neſcius eſt, cuinam easdem tribuat, Evangeliſtæ? an alii cuidam? Ad quod benè reſpondet Hieronymus, Epiſt. CI. ad Pammach. de optimo genere interpretandi c. 3. f. 280. hisce in verbis: *Arguatur Evangeliſta mendacii, quare addiderit tibi dico? cum in hebraico tantum ſit puella ſurge; ſed ut ἐμφαλυκώτερον faceret, & ſenſum vocantis & imperantis exprimeret, addidit tibi dico.* Conf. Lightf. H. H. Grot. in h. l. Pfeiff. in D. V. aliique plures.

§. XIII.

§. XIII. Quando Christus Marc. 3. 17. Jacobo, cui, ad differentiam Jacobi minoris Alphæi filii, cognomen erat Majori, atque Johanni, Zebedæi filiis, novum nomen imposuit, eosque vocavit βοανεργὲς, quod Evangelista *tonitrui filios*; interpretatur, istud nomen interpretes de illius etymo ac derivatione sollicitos multùm exercuit, quorum aliqui eò, quod non invenirent, ubi pedem figerent, ad violentam confugerunt solutionem, statuentes aliter apud Evangelistam legendum scribendumque esse, quàm communiter legant codices. Drusius inquit: *Noli ambigere quin scribendum sit Bene reem*, cujus sententiæ etiam fuisse videtur Hieronymus tàm in comm. in Dan. 1. quàm in libr. de Nomin. hebr. existimans, emendatius hic legi *Bene raham*. Greg. Greg. Franc. in Lexic. Sancto n. 165. p. 211. arbitratur, Christum biblico nomine uti voluisse, veritati consentaneum, hinc ait novo illos nomine ex Jos. 19. 45. בני ברק, quod *filios fulguris* significet, fuisse insignitos. Sed verò hæ omnes, & si quæ id genus aliæ fuerint vocis derivationes ac interpretationes, vel eo nomine forent repudiandæ, quod constantem veterum pariter ac recentiorum probatiorum codd. fidem suspectam reddant, & cum nullum sit dubium, quin Evangelista ipsissima Christi verba retinuerit, prout edisseruerat, hanc responsionem admitti non posse, meridianâ luce clarius est. Nec dici potest, nomen illud ab Evangelista verbis synonymis, notioribus tamen fuisse expressum; Fidi enim historici erat, personarum nomina fideliter tradere, prout primitus erant imposita, etiamsi in illorum gratiam, quibus scribit, explicationem vocabulis clarioribus conceptam annectat. Nam, quod rectè in simili argumento asserit Maj. Diss. SS. Loc. 5. cap. 1. §. 13. *Propria nomina in omnibus lingvis servantur & servari debent. Si autem mutantur, non dici possunt nomina, à primis auctoribus imposita, sed excogitata ab aliis, & ad similitudinem quandam effecta.* Propius igitur accedere videntur, quæ ad hunc locum tradunt Vatablus & Grotius, quorum hic ex בני & רעש maximam com-

commotionem denotante id conatur deducere, ille autem scribit: *Boanerges vox corrupta, pro qua hebraicè legeretur Benerges.* Neque tamen ista per omnia satisfaciunt. Nam etsi negari haud possit, Grotii sententiam literæ ע pronunciatione pristinâ juvari nonnihil, quatenus eidem sonum τῶ g. tribuebant, ut ex voce עמורה, quam LXX. Interpretes Novique T. Auctores, per Gomorra enunciant, videre est: non tamen liquet, quî pro ש poni potuerit מ, illudque cum hoc permutari; citra omnem hoc fieri analogiam, persvasum mihi est. Vatablus verò, præterquam quod corruptionem nimis facilè in N. T. statuat, proximè ad veritatem accessisse videtur, cujus etiam mentem approbat Syra N. T. paraphrasis, quæ hùc collata omnem de lectione vocis litem tollit, dum constanter ܒܢܝ ܪܓܫ legit, quod chaldaicè sonat בְּנֵי רְגֵשׁ ceu hodienum extat in textu græco. Eandem insuper cum Evangelista explicationem tenet idem, dum ita reddit ܗܘ ܠܗ ܫܡܐ ܕܒܢܝ ܪܓܫ ܕܒܪܩܥܐ *Impositit illis nomen benaj regesch, quod est filii tonitrui.* Est autem vox ܒܢܝ in Hebr. Chald. & Syriacâ lingvâ tritissima, à sing. בֵּן etiam in Targum 1. Chron. 17. 11. occurrente, contra quam notavit Buxt. L. T. hâc voce, singularem in Targum esse inusitatum. Alterum רגש non minus frequens est in sensu *commotionis, strepitus, tumultus,* ut exempla hic afferre non videatur necessarium. Dubio verò illi, quod h. l. Beza & Vatablus movent, quod hic extet βοανεργὲς, non verò βενεργὲς, occurrit Hugo Brughtonus cit. Lightf. H. H. h. l. verbis sequentibus: *Judæi in hunc usq; diem ceva per oa enunciant, ut Noabhim pro Nebhim. Sic Boanerges cum Theod. Beza Benerges scriptum velit, ipsi Judæi Evangelium nostrum defendunt.* Castellum à Josepho de B. I. l. 5. c. 3. lat. græc. c. xd.

c. xd. מְצָדָה vocatum, ap. Strabonem Geogr. l. 16. f. 526. μοασάδα appellatur. Quin ipse Moses Kimchi שבילי הדעת l. 1. port. 4. c. 3. והשלישי אם יבוא אחריו אחת משאר האותיות תהיה נקודה באיזו תנועה שתהיה קרוב השבע נוטא לקמץ *Tertius* (τὸ *scheva efferendi modus est*) *si sequitur illud una ex reliquis* (*præter gutturales aut jod*) *literis notata quâcunque vocali, erit* τῇ *scheva lectio ad Kamez sese accommodans.* Testatur verò in suis ad locum citatum additamentis, Elias, Kamez Tiberiensibus, legitimæ pronunciationis peritissimis, ita efferri consvetum fuisse, ut sonum obtineret ex O atque A mixtum, ita ut sonus τῇ O prævaleret nihilominus. Lud. de Dieu præfat. ad Apoc. Syr. ait: *Memini me ex clarissimo Viro Domino Erpenio audire, habere se ex ore doctissimi cujusdam Maronitæ, nullis præceptis grammaticis, ac vix vivâ voce doceri posse, quem sonum scheva habeat apud Syros, præsertim sub gutturalibus.* Insolens verò illud non est, ut, duabus vocibus in unam coalescentibus, (quod inprimis in nominibus propriis frequens) scheva in medio negligatur penitus, cum apud Chaldæos scheva etiam post vocalem longam quiescat. Denique quod τὸ ש per S. nudum efferat Evangelista, neglectâ aspiratione, id græci pariter atque latini, necessitate quâdam adacti faciunt, quia literam huic sono æquivalentem non habent, quod confirmant voces שמואל *Samuel*, שאול *Saul*, שלמה *Salomo*, aliaque plura passim obvia. Rationem appellationis pluribus indagat Lightf. l. c. Nobis Pfeiff. ad h. l. verba non displicent: *Sunt*, inquientis, *filii Zebedæi*, βοανεργὲς בני רגש υἱοὶ βροντῆς *ob δύναμιν in dicendo vocati*, conf. Raupp. Lexic. ad voc. Tonitru.

§. XIV. Pergimus nunc ad aliud Scripturæ vocabulum, quod non minus exercuit Viros etiam Doctissimos. Est illud nomen *natatorii* Joh. 5. 2. (ita enim malumus græcum κολυμβήθρα vertere, quàm ut vulgo fieri solet per *piscinam*) quod à causâ supernaturali commotum sanitatem conferebat,

primùm in illud demisso. Nec enim subscribere possumus Experientiss. Bartholini sententiæ: qui aquæ hujus commotionem ad causam naturalem refert, dum certo anni tempore ex aquæ fundo mineralem prorupisse ait tincturam, quæ ex fundo mota ascenderit sursum, & ægrum aqua illa tinctum sanaverit. Huic enim sententiæ expressa Scripturæ litera ingniter refragatur, quæ vers. 4. ex amussi eidem contradicit: Ἄγγελος γὰρ Κυρίου κατὰ καιρὸν κατέβαινεν; *Angelus enim Domini certo tempore descendebat.* Nec quicquam huic dubio satisfacit Bartholinus dicendo: *Angelus Dei dicitur h. l. ordinatio Dei in causâ illâ naturali ad sanandam composita.* Probari enim primò debuisset, ipsis naturæ motibus à Deo constitutis, unquam Angeli nomen tribui, quo obtento, amplius etiam demonstrandum, illud h. l. ita accipi posse ac debere vocabulum. Posse quidem; quia dicitur κατέβαινεν, non verò ἀνέβαινεν *ascendit.* Debere autem; quia uno tantum motu nonnisi unicus sanabatur: cum, si causa fuisset naturalis, dubio procul omnes, qui sub idem tempus ingredi festinassent, fuissent quoque sanati, prout rectè urget Animadvers. parad. in h. l. Eques Anglus Eruditiss. Nortonus Knatchbull. Hoc natatorium ab insigni hâc, quam Deus stato anni tempore, (juxta quosdam ex vers. 1. ipso paschatis festo) ægre decumbenti exhibuit, vocatum fuisse Bethesdam, Auctor in h. l. est Paraphrastes Syrus, Evangelistæ Joh. 5. 2. verba Ἔστι δὲ ἐν τοῖς Ἱεροσολύμοις ἐπὶ τῇ προβατικῇ (subintellige πύλῃ ex Nehem. 3. 1. 32.) κολυμβήθρα ἡ ἐπιλεγομένη Ἑβραϊστὶ Βηθεσδά, hunc in modum transferens: ܐܝܬܘܗܝ ܒܬܪܥܐ ܕܡܫܟܢܐ ܕܫܡܗ ܒܥܒܪܝܐ ܒܝܬ ܚܣܕܐ ܕܐܝܬ ܠܗ ܬܪܥܝܢ ܦܬܚܝܢ ܕܡܝܐ ܕܡܫܬܐܠܝܢ ܒܗ ܫܪܝܐ

Erat verò ibi Hierosolymis locus quidam baptismi, qui vocatur Hebraicè

braicè locus misericordiæ. Ita enim dicitur, Interprete B. Glassio Phil. L. 1. tr. 4. sect. 2. p. m. 236. *idcò, quod in eo Deus benigne potentiam & misericordiam suam exerceret, in curandis quibusvis morbis.* בית enim Syriacè pariter ac Hebraicè Chaldaicèque in statu constructo positum, *domum, locum seu continens quodvis* significat; exemplorum abundè dabit noster Danzius Interpr. Hebr. Chald. §. 28. חסדא verò Syrorum Chaldæorumve *opprobrium* non tantùm, sed *gratiam* quoque & *misericordiam* denotat, ut videre est ad Rom. 15. 3. haud secus ac hebr. חסד utplurimum & ordinariè gratiam designat & benignitatem, interdum verò (v.g. Lev. 20. 17. Prov. 14. 34.) probrum & turpitudinem: sive id factum dicas, ut communiter fieri solet, κατ' ἀντίφρασιν uni eidemque voci diversas easdemque contrarias notiones tribui; sive ironiam, eâdem manente vocis significatione, subesse statuas, nostrâ parum intererit. Ampliùs suâ isthâc versione Syrus quæstionem de hoc loco motam illustrare nonnihil videtur ac explicare, quam movet Vir supra laudes nostras Lightf. H. H. h. l. An videlicet hic locus Bethesda, lotioni sacrificiorum Deo offerendorum fuerit destinatus, ut in eo sordes pecudum ante mactationem abluerentur, ceu hactenus creditum fuit communiter? Quam verò sententiam jam jam laudatus Lightf. l. c. satis probabiliter in dubium vocat, tum quia de eo, quod corpora, vellera, terga, ante mactationem fuerint lavanda, Sacræ taceant paginæ, traditionesque Judæorum authenticæ, nec uspiam inter labes ac vitia, quibus bestiæ ad oblationem reddebantur ineptæ, id numeretur, quod non fuerint lotæ prius. Statuitque homines, ut in V. T. fieri solebat, variis casibus pollutos, in Bethesda lavari fuisse solitos, hâcque fini pro immunditiarum diversitate, quinque diversas hujus natatorii porticus fuisse, in quibus ante ablutionem vestes deponerent, post ablutionem resumerent, ac semper protecti essent à pluviis. Cui etiam sententiæ haud obscurè favet Syrus, ver-

tendo ܒܝܬ ܡܫܡܥܕܐ ܕܡܥܡܕܢܐ

locus quidam baptisterii; vox enim ܡܥܡܕܢܐ ejusq; cognata sive conjugata potiùs, de hominum ablutione frequentissimè (conf. Matth. 3. 14. 2. C. 2. 11.) sed de bestiarum nunquam prorsus, vel certè difficulter deprehendes. In eo tamen Syrum probare non possumus, quod περιβολῇ in sua paraphrasi planè omiserit. Quanquam enim loci hujus peritis, mentione de Bethesda factâ, satis constare poterat, eam versus probaticam portam sitam fuisse, non tamen statim hoc patescet illis, qui hujus loci notitiâ nondum imbuti, Syrum textum legunt: Nec eâ propter textui quicquam erat detrahendum, qvum non tantùm pro iis, qui Hierosolymis, sed alibi etiam locorum degebant, scriberetur. Rectiùs igitur fecisset, si vocem prædictam, uti decebat ac par erat, textui inseruisset; inprimis cum ex eo, quod h. l. Evangelista ad portam probaticam Bethesdam fuisse testetur, Lundius im Levitischen Priesterthum. L. 3. c. 34. edit. recent. fol. 570. existimet, Lightfooti Chorogr. Johan. præm. c. 5. §. 1. p. 940. sententiam, quà hoc natatorium Bethesdã templo adeò propinqvum non fuisse contendit, quàm quidem vulgò putatur, falsitatis posse convinci. Ad quod verò dubium responderat jam ante Lightf. Chorogr. scil. Matth. præmis. c. 26. p. 54. quin & in ipso à Lundio impugnato loco, cujus rationes omninò reliquit intactas. Sed ne de Bethesda pauca delibantes nodum in scirpo quæsivisse videamur, perpendat B. L. varias variorum, easque doctissimorum, circa genuinam hujus vocis lectionem, enatas sententias. August. Tertull. Theophyl. Lyra, referente B. Frischmuth. Diss. de hâc voce, legerunt Bethsaida, cujus etiam sententiæ, Zegero Judice, fuit Hieronymus, qui voluit locum hunc ex Joh. 1. 44. correctum. Ipse tamen Hieron. in locis Hebr. Tom. III. fol. 417. non scribit Bethsaida, ut ait Zegerus, sed בית חסרא. Reliqui verò Patres confundere

dere videntur præsentis loci vocem cum Bethsaidâ, Andreæ ac Philippi Patriâ Joh. 1. 44. illudque interpretantur *domum venationis* seu *piscationis*, idque inprimis ideò, quod vocis etymologia, sive potius externa quædam in sono convenientia, huic opinioni aliquantisper favere videatur. Alii pro Bethesda legendũ censuerunt בית עדי *domus ornatus*, ut Erasm. de Wolffg. Muscul. perhibet. Quam vocis lectionẽ huc minus quadrare, exprimo vocabulorũ apud Evangelistam aspectu, quivis facilè judicabit. B. Brentius vocem ex בית עזא h. e. *domus caprarum*, deducit, & hoc inde stabiliri posse existimat, quia sicuti in voce עזרא scribitur Esra non Esdra, ut dici scribive debebat: ita & in hâc voce pro sd putat apponi posse ז. Quæ tamen etymologia præsenti vocabulo parum est congrua. Primò enim ז græci, non sequente consonâ, nuspiam per sd protulerunt, ut scribit ad hunc locum B. Pfeiff. D.V. sed per ζ. sæpius: ut apparet ex his vocabulis בועז Boaz, עזריוז Ἀζαρίας, זכריה Ζαχαρίας. Unde disceptant inter se Viri longè eruditissimi, num per ζ. an verò per S lenissimum efferri hæc consona debeat? ac in eo reprehendunt vulgatum, quod pro hebr. עזרא scripserit Esdras, cum vel Esras, vel modo inverso, Edsras exarari debuisset. Quibus stantibus, scribendum h. l. pariter foret Bethedsa vel Bethesa. Deinceps (2.) obest huic B. Brentii sententiæ adjectum ab Evangelista vocabulum προβατικῇ, quod si vellemus cum Bethesdâ in eodem efferre casu, quorsum derivatio haud obscurè tendit, sensum faceret sequentem: *Erat natatorium probaticum*, german. ein Schaf-Teich. Sed hanc expositionem infringeret extans in græco ἐπὶ præpositio, quàm vel planè negligeres, vel si eandem admitteres, lacunam statuas in græco textu, necessum est. Quis enim sensus? *erat ad piscinam probaticam, quæ dicebatur hebraicè Bethesda &c.* deesset enim altera propositionis pars ad sensum complendum necessaria. Omnium verò minimè assensum meretur ea, quæ à Pfeiff. l. c. & Beza in h. l. refertur, quorundam derivatio,

quà vetustissimi cujusdam codicis auctoritate legunt Βεθζεθὰ, illudque dictum putant pro Bethzeda. Hunc enim unum fuisse ex collibus Hierosolymitanis Joseph. de Bello Jud. L. 6. c. 6. sec. divis. lat. (juxta græcam verò c. 13.) testatur, cum natatorium h. l. dicat Johan. Evangel. B. Brentii comm. in Joh. sententiam, quà opinatur cum quibusdam, à ביא *domus* & ערר *grex*, i. e. *domus gregalis*, hoc nomen posse dici conflatum, pluribus examinare nil attinet, cum ipsimet non per omnia placeat, ob insignem, quæ est inter utramque, differentiam. Alii apud B. Glassium Phil. l. 1. tr. 4. sect. 2. p. m. 237. deducunt à בית domus, & אשר in statu emphatico אשרא effusio, qui hanc denominandi rationem suggerunt, quod aqua ibi non fuerit propria, sed infusa, vel per canales eo deducta. Quæ etiam sententia Magn. Wagens. arridet Sotâ p. 307. dicenti: *aquas illas, quibus Sacerdotes manus suas pedesque aut victimas abluerant, & quæ è labro æneo quotidie evacuabantur ex templo manantes, alicubi stagnasse*; adeoque interpretatur receptaculum aquarum, quæ in templo fuere profusæ. Lud. de Dieu putat ideò dictam fuisse domum effusionis, quod ibi effusa sit aqua in oves ad abluendas eas sordibus, cui etiam sententiæ addictus communiter traditur Hieron. quia in locis Hebr. Tom III. pag. 417. scribit: *Hostias in eo lavari à Sacerdotibus solitas ferunt, unde & nomen accepit.* Hisque calculum suum addit Drusius in h. l. *Piscina* (inquiens) *erat Hierosolym. in qua lavabantur oves immolandæ in templo, cujus meminit Benjamin in Itinerario per hæc verba: Ibi conspicitur in hunc usque diem piscina in qua mactabant victimas suas, ibi omnes Judæi scribunt nomina sua in pariete.* Sed quàm benè testis loco adhibeantur Benjaminis verba, quàmque validum sit ejus testimonium, me non pervidere posse, haud quaquam diffiteor. Nec enim is de lotione pecudum, in sacrificium offerendarum, in hâc (ut vult Drusius) piscinâ peragendâ, sed de immolatione earundem disertè loquitur, inque eo genium suum sequitur atque ingenium, à fabulis non usque quaque alienum.

Constat

Constat enim, alibi quam in templo immolare sacrificia, severè interdictum fuisse: unde haud immeritò Zegerus in h. l. inquit: *Utrum hoc verum sit viderint ipsi.*

§. XV. Posteaquam sera pœnitentia subiisset animum proditoris Judæ, quod ausu tam temerario Dominum ac Salvatorem suum in manus Judæorum tradidisset, maledictam nunc pecuniam, recusantibus eam Judæis, projecit in templum, quà iniquitatis mercede, quia Korbanæ immitti non poterat, emunt Judæi agrum figuli, eumque vocant Ἀκελδαμὰ, Actor. 1. 19. h. e. ipso Luca interpretante, *agrum sangvinis.* Quod voc. Erasm. derivandum putat ex hebr. אחלי, quod juxta ipsum *fundum* significat sive *facultatem.* Sed mavult Hotting. Lexic. heptagl. pag. 139. illud ex Arabicâ radice חקל deducere, quæ *terram cum herba vocare* significet; Quibus posthabitis, alii rectius Syri vestigia legunt, quippe qui verba hæc Ἀκελδαμὰ τοῦτ' ἔστι χωρίον αἵματος, vertit ܚܩܠܕܡܐ ܕܐܬܪ ܕܕܡܐ ܗܘ ܕܡܬܪܓܡ ܚܩܠܕܡܐ ܗܘ ܕܡܐ *Chekaldemo cujus explicatio est ager sangvinis.* Est enim nomen ܚܩܠ Chald. & Syriac. significans agrum, uti Matth. 6. 30. Jos. 8. 20. & passim alibi occurrit, originemque trahit ex hebræo חלק *partem* sive *portionem* notante, ex qua descendit fœm. חלקה Jer. 12. 10. *agrum* etiam hebraicè significans. Formatur verò literis inter se transpositis, uti sæpiùs in Chald. & Syriac. fieri consvetum est, v. g. pro hebr. שער porta, dicitur Chaldaicè תְּרַע Dan. 2. ult. & Syriac. ܬܪܥܐ Matth. 16. 18. it. pro hebr. מְפָרֵשׁ Dan. 5. 12. occurrit מְפַשַּׁר *interpretans*, & in hac quidem nostrâ voce idem observat Samaritanorum lngva, in qua pro more insuper gutturalis ח mutatur in ע, sic Exod. 20. 17. pro hebr. שרהו ex Deut. 5. 18. hic loci insertо, adhibet ϢΛΡV, ex quo, ut hæc obiter moneam, constare potest

potest de veritate asserti Virorum quorundam cætera doctissimorum, qui statuunt, carere Samaritanos tribus literis חחע, adeoque hâc lingvâ legem ab ipso Mose non potuisse esse conscriptam, ceu arguit Calov. Bibl. illustr. ad Ezech. 9. 4. Thilo in medulla Theol. V. T. ad l. c. &, quod mireris, B. Schickard. cum in Hebr. Trichter p. 22. tum in notis sub calcem libri de jure Regio. Qui error à Benjamin. Tudelensi, cui B. Schickard. in Taar p. 28. peregrinatoris fide dignissimi elogium tribuit, originem trahit. Is in itinerario suo primus hanc publicè proposuit sententiam, eamque incautè accipientes, in errorem seduxit, sive cum Hænero Obs. Philol. Crit. 9. inde hoc ortum putes, quod Samaritani literas finales ac dilatabiles ignorent; sive cum Hotting. Exerc. Anti-Mor. p. 38. Benjaminum de χρήσει seu legitimâ gutturalium usurpatione loquentem, perperam de κλήσει fuisse intellectum dicas. Pronunciationem vocis quæ concernunt, ubi pro ܐܟܠ A'κὲλ & pro דָּמָא δαμὰ dicitur, ea ex supra adductis clara sunt, modo hic attendatur ex celeb. nostri Danzii Gramm. Hebr. p. 44. antiqua vocalis (-) pronunciatio, quà in syllabâ compositâ sonuit non α purum, sed ε. Ita pro Hebr. מלכיצדק Auctor Epist. ad Hebr. c. 7. 1. habet Μελχισεδὲκ, pro נפתלי Matth. c. 4. 15. Νεφθαλεὶμ &c. Aspiratio verò apud Græcos sæpe omittitur, ut docet græcum Eva pro חוה 2. Cor. 2. 3. E'μμὸς pro חמור Act. 7. 16. A'ρμαγέδδων pro הרמגדו Apoc. 16. 16. præsertim cum gemina, seu potiùs triplex per ח indigitata ab illis exprimi non potuerit. Præterea conf. huc, quæ de sono τȣ̃ scheva ad παλιθὰ κȣ̃μι dicta sunt pluribus.

§. XVI. Denique succedat aliud dictum Matth. 27. 33. in quo consignatum videmus locum, ubi Christus cruci est affixus, lingvâ hebræis tunc receptâ, γολγοθὰ appellatum fuisse, quà in re assentiunt Matthæo Marcus cap. 15. 22. atque Johan. c. 19. 17. fateturque Beza in h. l. in omnibus ita scriptum

ſcriptum legi codicibus. Cum verò Etymologia & formatio vocis non ubivis ſit obvia, diverſi ex Interpretibus in omnes ſe verſarunt partes, ut ex dubio ſe extricarent. Vatabl. in h.l. Beza & Mercerus in notis ad Santis Pagnini theſaurum, diſertis verbis lectionem τȣ̃ Golgotha rejiciunt, & pro eo Golgoltha legendum eſſe ducunt, nixi aliquot codicum, qui ita legunt, auctoritate: quod ipſum etiam de hoc loco ſentit Caninius, Disquiſ. in locos aliquot N.T. obſcuriores pag. 82. Rem nonnihil faciliorem reddit in ſubſidium vocatus Syrus, qui verba Evangeliſtæ: Καὶ ἐλθόντες εἰς τόπον λεγόμενον γολγοθᾶ ὅς ἐστι λεγόμενος κρανίȣ τόπος, ita vertit: ܘܐܬܘ ܠܐܬܪܐ ܕܡܬܩܪܐ ܓܘܠܬܐ ܗܘ ܕܡܬܬܪܓܡ ܩܪܢܝܐ ܬܪܥܐ *Et venerunt in locum, qui dicitur Gogultho, quod vertitur Cranium.* ܩܪܢܝܐ enim nomen ſtatus emphatici, apud Syros denotat *cranium* à rotunditate ſic dictum, eſtque à radice ܩܪܢ, quæ hebræis ſignificat *volvit*, unde Syriacum nomen ܩܪܢܐ *rota*. Jac. 3. 6. Formatio nominis optimè inſtituitur ad imitationem vocis בבל ex radice בלל *miſcuit*; ſi in conjugatione gravi, pro ſecunda radicali in locum Dageſch fortis transmotâ, ſtatuas ſimilem primæ, juxta Danzii Gramm. Chald. §. 45. II. 2. & Aditum Syriæ Recluſ. §. 35. II. produces גלגל. Et ita vox hæc occurrit Exod. 16. 16. Num. 1. 20. Jud. 9. 53. 2 Reg. 9. 35. eliſo nunc porrò ל priori, dicitur גגל, uti Syriacè Jacob. l.c. invenitur, indeq; eſt nomen Syriacum Emphaticum ܓܘܠܬܐ. Nec verò inſolitum prorſus eſt, quamvis rarius, ut ultimâ abjectâ, ſecunda retineatur, prouti hîc in græco γολγοθᾶ. Sunt enim in promtu ſimilia ex Sama-

ritanismo exempla, ubi idem obtinet in hâc ipsâ voce. Sic, quando Num. 1. 20. & 22. scribitur לגלגלותם, Samaritanus codex habet ⲗⲅⲁⲗⲅⲁⲗ. Unde non est, cur Beza aliique λ ultimum in hâc voce tam morosè poscant. Cur locus à craniis appellationem sit sortitus, in propatulo est; fit nimirum, rectè hoc annotante Zegero, per metonymiam, à capitibus capillis & carne nudis, quibus ex occisis corporibus abundabat, denotatque locum ubi multa crania & ossa dispersa jacent.

§. XVII. Eâdem nunc ratione ad reliqua descendendum foret, ea quæ supersunt percurrendo, v. g. ῥακὰ Matth. 5. 22. Ἀββᾶ Rom. 8. 15. Κορβᾶν Marc. 7. 11. & quod idem cum eo prorsus est, assumtâ modo terminatione græca Κορβανᾶν Matth. 27. 6. πάσχα Matth. 26. 2. βαρϊωνᾶ Matth. 16. 17. ῥαββὶ Joh. 1. 38. ῥαββουνὶ Joh. 20. 16. ῥαββονὶ Marc. 10. 51. Κηφᾶς Joh. 1. 42. & alia plura. Sed cum ex hactenus dictis abundè eluceat, quemnam is usum expectare possit ex versione Syriacâ, qui levem illius lingvæ notitiam sibi comparaverit, & egregiam istam paraphrasin lectione suâ non fuerit dedignatus; ut temporis chartæque rationem habeamus, subsistimus, æterno Numini pro impertitâ nobis uberrimè gratiâ suâ dicentes cum Psalmistâ:

ויהי שם יהוה מבורך מעתה ועד עולם.

Lingvam nôsse Syri, numquis sit frugifer usus?
Num didicisse juvet? FAVTOR, AMICE doces.
Gratulor inde TIBI, læto qui gaudia plausu
Testor, & ex animo prospera fata precor.

Nobilissimo Domino ALPHEYO, *Doctissimo Dn. Auctori Respondenti, Fautori suo, Amico ac Conterraneo charissimo gratulatur*

Henningus Bernhardus Witter, Hildesiens. Philol. Studios.

Franckesche Stiftungen zu Halle